# MENSA LUBRICA;

## Anglicè

# *SHOVEL-BOARD.*

IN GRATIAM

Nobiliss. Dom. *Eduardi Herbert*

Baronis de *Cherbury*

Lusit *Thomas Masters*, Nov. Coll. Oxon. olim Socius,
*A. D.* circiter 1636.

published wayne by Dr R. Bathurst
in the month of Dec. 1656

BODLEIAN LIBRARY

[1690]
2nd ed.

[1st ed. 1651]

# *MENSA LUBRICA*

ROboreus longo ſe porrigit æquore *Campus*,
Adſimilis *Menſæ*, Crebro Tibicine fultus,
Deviet à juſtæ ne quà Libramine normæ:
Hunc (ubi ſepoſitis placuerunt otia curis,
Et coïere, ſuæ quibus eſt fiducia dextræ)
Pervolitant ſpecie nummorum, *argentea* Turba,
*Orbiculi*, & vario celebrant certamina curſu.
*Romani* credas ſpatium te cernere *Circi*;
Aut ſtadium *Elei*, luſtro redeunte, *Tonantis*.
Utque *Coloratas* mirata eſt *Roma Quadrigas*,
Et *Praſino*, *Venetoque* ſuo ſua factio plauſit;
Sic & nos pictæ ſtudia in contraria ſcindunt
*Laminulæ*, & teretis facies non una *Metalli*.
Hinc favor, & *Partes*; ſtrepitu cava perſonat *Aula*:
Ira procul male ſuada, & Rauco gutture Rixa.
At *Tu*, qui primo ordiris certamine, *Miſor*,
Compreſſum extremis digitis, & pollice ſummo,
Deinde ita libratum, tantundem ut diſtet ubique
A facie *Tabulæ*, vi prorſum impellito *Diſcum*,
Vi modicâ; namque hic non bruto robore, quantum
Conſiliis opus eſt. *Leges* ante omnia diſce,
Et ſervare *Modum*. Nam ſi violentior ibit,
Emenſo *ſtadio* præceps ruet, *Alveus* illum
Excipit extremæ commiſſus margine *Menſæ*,
*Sandapilæ* ſimilis, duroque immitior *Orco*,
Unde datur reditus nulli, ſors omnibus una;
Seu Plumbi ignavi Maſſa eſt, ſeu divitis *Auri*.
Sed neque, ſi pœnam meruit temeraria Virtus,
Segnities placeat; dextram comitatur inertem
Et pudor, & riſus, caſſique infamia jactûs.
Eſt quæ tranſverſam diſtinguit *Linea* menſam;
Hanc ſuperare tibi ſit cura; nec ardua res eſt:
Namque avido diſtat de quo modo diximus alveo,
Quantum bis *Cubitus*, *pes* ter repetitus, adæquat.

Nec

# *Mensa Lubrica.*

Nec septum hoc superasse sat est, contemnitur hostis
Qui timet, & tutâ pavidus subsistit arenâ:
Pergendum porro; ille meis fervente *Duello*
Militet auspiciis, vere ille *Argenteus orbis*,
Et dignus splendore suo, qui *Carcere* pernix
Evolat, & (cursum accendens tenui stridore)
*Lineolam* post se linquit, neque Limine *Campi*
Contentus, summâ gaudet consistere *Metâ*.
Illum hostes oculo obliquo vidère, graduque
Dejicere, & merito certant spoliare *Triumpho*:
Sed socii fido circumstant agmine, Terga
Claudentes, & utrumque latus, vitamque sodali
Morte suâ redimunt: toto dum tinnula *Campo*
Bella sonant, *Virtus*, *Dolus*, *Ars*, *Sors*, omnia miscent.
Præcipue quando emissus Moderamine certo
Orbiculus, spatio summo sese insinuavit,
Distat ab extrema bino quod *Pollice*, *Mensâ*;
Huic geminum decus, hic *Miles duplicarius* esto.
At si quis multum Virtuti fisus, & arti,
Fatalem *Alveolum* haud metuit, *Tabulæque* supremæ
Hæsit, & eminulus subjectum despicit *Orcum*,
Intrepido vultu vestigia pendula librans;
Huic summum est pretium, Triplici hic præfulget honore.
Qui si oppugnatus, nusquam statione recessit,
Servavitque locum, neque deflevêre cadentem
Mœrentes socii, plausu super æthera tollunt.
Stat juxta, & niveis *Victoria* concrepat alis.
Hos ego, nec *Manibus* doctus, nec Ludere *Musâ*,
Docte *BARO*, expressi, Te fretus *Apolline*, versus.